

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Sleker Peter Pechlin

Disputatio Physica De Elementis

Rostochi[i]: Pedanus, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729136663>

Druck Freier  Zugang



F. Meier.
R. U. phil. 1614.



Disputatio Physica
DE
ELEMENTIS.

Quam
SUB AUSPICIIS S. S. TRIADOS
In Inclita Rosarum Academia

PRAESIDENTE

M. IOHANNE SLEKER O,
Physices Professore publ. & pro tempore facul-
tatis Philosophicae Decano,

PUBLICE

defendendam proponit.

PETRUS PECHLIN
Rostochiensis.

Ad diem April. hora 6. matutinae
In Auditorio Majori.



ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani Acad. Typ.
ANNO M.DC.XIV.

AMPLISSIMIS, CONSULTISS.
ET CLARISS. VIRIS D.D. CONSULIBUS
& Senatoribus, de inclita Repub. Rostochiensi.
quotidiè benè merentib. patrib. patriæ honoratissimis,
Mecenatibus meis magnis, & patronis singulariter colendis,

S. P.

PRospieri illius patris sanctissimi de vocat. gent. *Viri Ampliss. Cons. & Glarij.* patres longè charissimi, multa frugis & prosperrum consilium est bujusmodi: Quæ Deus occulta esse voluit, non sunceratanda: Quæ autem manifesta fecit non sunt negligenda: ne in illis illicite curiosi, & in his damnabiliter inveniamur ingrati. Ego omnium clarissimorum virorum spontanea & genia inductus merito hac ad sobriam Philosophie paginam applico: Philosophiae inquam; quis enim tam aureos posset in salutare prætersilire thesauros, ut eos vel à limine salutare, aut vel leñissimo saltu tantum transbolare non optaret? Quid! que manifesta fecit Deus largitor omnium uberrimus, adeonè in illis nos damnabiliter (ut cum Prophero loquar) ingnati inveniamur, ut ipsis vel ad aliquam temporis moram studium laboremq. nostrum denegemus? Quin imò cum hac ipsa Philosophia ad multa etiam Theologica exempla declaranda, Illustrandæ admirabili non obscurè sentamus, quis illam superciliosè affernetur? Res ut uno duntaxat exemplo inclarefas, age consideremus quatuor in uno cōposito elementa, que quamvis formis in vicem disjuncta, unum tamen corpus efformant, & sic in uno corpore quæ possunt forme distinctæ. Quod ergo providus naturæ Author Deus constituit in illis rebus, nimirum à se longe inferioribus, cur non & in ipso Trinitatis sacrosancta mysterio rem perfectiore multò & accutiorē esse credamus? ut magis admiran- da sit adversariorum, sacrosancta Trinitatis personas tres in una essentia impugnandum audacia, quam hoc in loca uberiori à nobis refutanda. Cum ergo Philosophiane Deus ipse manifestare, ejusq. igniculus in excellentissimis ingenij quibusdam latentes sufflare veluerit, merito battenui ei exiguum hanc temporis moram me debere video. Quare *Viri Ampliss. Cons. Clar.* disputationem hanc, sine noborum exspectatione, pro preceptorum meorum declaratione, cum juxta Senecam, qui ab alijs quod benedictum est, nostrum esse clarissimum componerat, propositam Vobis, patre patres honoratissimi, cum de aquo rerum Philosophicarum bistro judicio mibi certò conferset, tenquam laborum meorum philosophicorum documentum in debita observantia & honeris tenetur.

dedicatam
consecratamq;
observantissime

volo
PETERUS PECHLIN Ref.



DISSE

DISSERTATIO PRIMA,
DE ELEMENTIS IN GENERE.

THESES I.



aturalis scientia subjectum est, corpus naturale: Quod sicut præcisione quadam mentis ab omnibus corporum speciebus in Generali physica abstrahitur; ita in parte propria ijsdem restitutum, per omnes simplicium, mixtorum; Inanimatorum, Animatorumq; gradus sese diffundit: Dn. Pres. disp. de const. scient. natu. th. 4.

2. Nec alia Natura, motusq; hoc est, principiorum & affectio-
num ratio est: quæ itidem à suis inferioribus in parte communi
abstracta, recte ordineq; ijsdem applicantur, per descensum ad
species. Ut enim corpus cœlestis ad corpus; sic natura cœlestis
ad naturam, motusq; se habet ad motum illum communem &c.

3. Descensus iste fit per divisionem Generalis illius subje-
cti: qua singulis, in particulari, motibus ac naturis, singula af-
signantur subjecta.

4. Divisio corporum naturalium prima est in simplicia & mi-
xta. Illorum tractatio prior est, five ordinis rationem ex ipsa re-
sum natura, five à cognitione nostra deductam velis. Licet, quæ
hic dicantur corpora simplicia, vix rectius quam per remotionem
mixtorum intelligas.

5. Neq; enim simplicia dicimus, simpliciter: sed corpora sim-
plicia: eò quod mixta, id est, ex alijs corporibus speciem quan-
dam, propriamq; existentiam) habentibus, non sint conflatae.
Dn. preses in com. super Magir.

6r Simplicium tractatio, cum peculiarem in scientia lo-
cum suo jure sibi posceret, eum accepit in libris de cœlo; quorum
subjectū non est cœlum, sed corpus simplex in genere; h.e. cœlo &
Elementis commune; nimirū ut absolute Elementa considerant.

7. Duplicem quippe considerationem eorum insinuant,
usus & affectiones omnibus prope quotidiana usurpatione co-
gnitæ; Absolutam inquam & respectivam ibide-

8. Nam & in seip̄is considerata Elementa, speciem quādam corporum naturalium constituant; certisq; ac proprijs (ex naturae suæ indole fluentibus) affectionibus dotatae, suum quodam esse habent, quod alterius non sit (hinc absolutum vocamus). Et tamen generationi mixtorum, ex instituto naturæ ita subserviunt, ut *Principia* horum vera sint, & ad illa, (peculiaribus eo nomine proprietatibus instructa) referantur.

9. Hinc altera illa consideratio *Respectiva*: à priori illa, Aristotelis exemplo, sejungenda: quam tum ordine naturæ, tum cognitionis nostræ subsequitur; ipsiq; mixtorum tractationi sese (hac *principij* relatione) insinuans, in libris de generat: & corrup. primas sibi partes vendicat.

10. De his elementis hæc nobis instituta negotiatio est; nimur in territorio scientiæ naturalis: quæ vocabulum hoc ēn τῷ μάλαχῷ λεγετόν fere proprium sibi, vulgoq; uotissimum fecit.

11. Esse autem hujusmodi corpora, in confessō est; Et si quis neget ad rem ipsam ope sensuum ducendus fuerit; quorum adminiculo quantum in primo isthoc aditu satis est, facile discat. Imo & id disceat, quod ad plenam eorum cognitionem proficienti necessarium est, Nimurum Elementorum inter se transmutationem; quæ aquæ aërisq; exemplis, se manifestissime prodit.

12. Quod enim hoc (aqua) illud (aër) non sit, & ex hoc illud fiat; sensuum spero (qui extra Academiam sit) crederet indicio. Et tamen hinc, ut plura esse Elementa, credat, sensim adducetur. Hoc verò essentiæ eorum diversitatem, mox ostendet; ac formarum discrepantium insinuabit; Quibus si transmutacionem illam mutuam adjungas, prope est ut ad communem illam: materiam afferendam ipse sua sponte veniat; & horum corporum ex materia ac forma compositionem profiteatur.

13. Si enim aqua & aër, per suas formas id sunt, quod sunt: Et vero ex aqua fiat aër: Requiritur hercle: ut expulsa aquæ forma, (qua videlicet aqua erat aqua, nec poterat non esse aqua) ejus in locum alia succedat forma, qua illud quod antea erat aqua, nunc sit aër.

14. Et tamen si ex aqua vere factus est aër, necessum est, ut aliquid sit in aère genito, quod fuerit in aqua: Nempe materia seu

seu subjectum illud, quod utriusq; formæ licet capax sit, utramq;
tamen simul capere non potest, adeoq; unam dimitit, ut alteri
uniatur. Sin minus: certe non aër ex aqua factus est, sed ex ni-
hilo: cum nihil eorum quæ aquæ fuerint, jam aëris esse possint.

15. Sic ergo in corporibus hisce materiam agnoscat & for-
mam (in quibus ipsa eorum essentia consistit,) & aliquod de affe-
ctionibus eorundem judicium facere jam poterit, eò quod
illa transmutatio sine alteratione non sit; neq; hæc sine actione
ac passione: & hæc non sine qualitatibus invicem pugnantibus:
quæ ita uni (v.g. aëri) propriæ sint, ut alterius (aqueæ) esse non pos-
sint. Quod cum sine causa aliqua non fiat, placido bonæ institu-
tionis ductu, veteri quidem, sed qua meliorem neq; res neq; intellectus admittit, Didacticā, principia hujuscē rei in ipsis illis cor-
poribus; & quidem in illorum essentiâ incipiet dignoscere; Per
regressum videlicet ab effectis ad ipsa deductus principia.

16. Sunt autem Elementa Corpora naturalia simplicia &
homogenea, situ convenienti in mundo, ad ejus exædificationem,
pro naturæ ratione collocata: Ex quibus reliqua hæc, missio-
ne vera componuntur, & in quæ corpora ultimo resolvuntur
ipsa vero in nulla se priora.

17. *Corporis* rationem ostendit compositio ex materia &
forma. Qua cum tamen Simplicitas optime consistit: scilicet, non
in genere Entis, sed *Corporis*.

18. In hanc Simplicitatis notitiā perducit Motus Sim-
plex localis. Qui cum sit à natura, & de natura testetur (natura
enim est principium motus: Et ignorato motu ignoratur natura)
Et non nisi in subiecto sibi convenienti ac proportionato esse pos-
sit: Erunt certe & corpora quædam simplicia quibus primò ac
per se motus iste conveniat: Cujusmodi tamen si ab elementis re-
cedas, in universo hoc dare non poteris: Nempe quoad motum
rectum.

19. Materia quam dixi, est *prima* illa, in 1. Phys. ab Arist.
demonstrata, frustra à novatoribus, magno desperatæ ruditatis
argumento negata.

20. Formam etsi in qualitatibus primis multi, & inter hos
vitii etiam nonnulli docti ac magni reponant; non sine aliqua

Subtilis doctrinæ specie; tamen si rem spectes, & quod verum est
sine antbagibus dicere velis, opinio illa falsa est.

21. Ecquid enim accidens aliquod materiae junctum, eam
actuet? eam intrinsece & essentialiter perficiat? cum ea per se
unum aliquod constituat? adeòq; regiam formæ substancialis
sedem occupet?

22. Substantialis ergo forma est, & ipsis illis qualitatibus
prior; imò & earum causa. Quamuis cum essentiales formæ ob-
scuritati naturæ involutæ jaceant; eas per accidentia quovis modo
explicare, inconveniens & insuetum non sit.

23. Et hæc forma materiae prima immediate juncta, corpus
illud simplex, de quo dictum, constituit: quod quia simplex, etiam
Homogeneum est. Sicut enim Elementa ex diversis speciebus
facta non sunt, ita nec in illas dividi possunt: eandemq; & in toto
& in partibus rationem habent ac definitionem: Ut quælibet
particula terræ terra sit; aquæ, aqua: (secus atq; in Hetero-
genieis;) adeoque ex partibus judicium de natura totius fieri
queat.

24. In hac essentia, ipsa illa affectionum de Elementis de-
monstrandarum principia reposita sunt, neq; alia hic, nisi ine-
ptire cum nunnulis placeat, querenda: sive in absoluta eorum
consideratione verseris, seu respectiva...

25. Nam & ipsæ affectiones duum hic generum sunt; aliæ
inquam absolute ipsis debitæ, aliæ, ut sunt principia mixtorum.
Quas priusquam aggrediamur, questio expedienda est de numero
elementorum.

26. Expediri autem vix potest; nisi rationem inreas, cum
affectionibus ipsis, confuse cognitis. Quæ, cum duplices sint;
duplex etiam hujus demonstrationis oritur fundamentum: nem-
pe ex motuum localium differentijs; & qualitatum, missioni in-
servientium combinatione.

27. Errat enim Thomas de Garbo, in sua summa tract. I.
c. 1. qui licet quatuor esse elementa, non neget; negat tamen id
firmâ ratione probari posse. Errat & ille apud Galen I. de Elem.
c. 6. qui hanc rem clariorem esse putabat, quam ut probari de-
beat. Nos Aristotelem fecuti, probare annitemur, quod verum
esse

esse credimus: Nec scrupulose tamen nimis vel anxie; freti consensu doctorum & longi temporis præscriptione.

28. Infinita non sunt elementa: quod neq; sensuum aliqua indicia, neq; rationum momenta ad hanc Infinitatis assertionem se offerant: plurima vero quæ ab ea revocent. Id enim quod optimum est, natura fecit. Optimum autem esse finita. Alias cum ex elementis mixta constent, constabunt ex infinitis: Imò quomodo generabuntur & ex potentia in actum transibunt, cum infinita pertransiri non possint? Et quomodo isthac cæli ambitus continebuntur? quomodo mentis nostræ subeant complexus quibus demum differentijs. distinctis, ac proprietatibus inter se erunt diversa? sed hæc quidem sententia, merito suo antiquata est.

29. Nec melius rem agunt, qui in uno Elemento acquiescent. Tollunt enim generationem substantialem; quia transmutationem tollunt: Hæc enim nisi inter contraria, non est; nec sine actione ac passione: quæ tamen cum unitate principij stare non possunt. Ecquid autem vel sursum mouebitur hoc elementum, an deorsum? vel sursum & deorsum simul. Et quo naturæ principio?

30. Majoris operæ est Quaternarij demonstratio; quam extremus hisce fundamentis. 1. Elementa esse corpora naturalia; ergo motui ac quieti secundum naturam, apta. 2. Universum quoad omnes motuum differentias esse perfectum. 3. Adeoq; uno concessso motu ac mobili, etiam concedi oportere ei oppositum. 4. Motum Simplicem, primò non nisi simplici corpori ascribendum. 5. Vni corpori simplici, non nisi unum motum simplicem esse tribuendum. 6. Adeoq; tot corpora simplicia mobilia, quot sunt simplices motus.

31. Accipio ergo quod nemo negauerit, esse quædam corpora, quæ simplici motu deorsum ferantur. Quæ si mixta fuerint, simplicem hunc motum primo sibi vendicare nequeunt; per prop. 4. Quod autem in aliquo est secundario; id alterius esse primo: sapientum est traditio.

32. Sit ergo corpus simplex, quod simpliciter deorsum ad centrum moveri natum sit, vel in eo quiescere ut Terra: Annon & aliud;

aliud fuerit, itidem simplex, quod sursum ferri natum sit à centro simpliciter? Erit utiq; per Prop. 2. & 3. videlicet Ignis.

33. Inter infimum autem & supremum; simpliciter sursum & simpliciter deorsum intercedit *medium*, & sursum secundum quid, deorsum secundum quid. Ergo præter ignem & terram tertium quiddam erit mobile item, quia naturale: Simplex item, quia simplicis motus (postea videbimus) subjectum.

34. Neq; aliter tamen moveri natum, quā vel sursum vel deorsum. nempe secundum quid: hoc est; ita ad centrum ut non ad infimum: ita à centro ut non ad summum.

35. Cumq; uni corpori simplici, unus tantum competit motus simplex; Tertium illud corpus vel deorsum movebitur, vel sursum.

36. Si deorsum; habes quidem aquam cui iste motus vernaculus sit. Sed quæ aliud sibi correspondens corpus exposcat, nempe aërem, cui competit motus deorsum secundum quid. Et tum omnes motus recti differentiae expletæ, & numerus Elementorum, adeoq; Mundus ipse primis corporibus erit perfectus.

37. Et quæ vero Simplicium corporum esset proportio, si terra, & aqua angusto globulo collectis; reliquum spaciū omne unicus expleret aëre? Nulla hercule. Ut mirum sit, quid tandem animo imbibent novatores, cum ad ignem Elementarem extinguedū tanto conatu ferantur. Ecquid enim firma demonstratione ternarium illum nobis determinarunt? Tales vero ne polliceri quidem ausint, qui quid demonstratio sit, subodorantur. An verò in quaternario vel impossibilitatem quandam agnoscunt, vel imprudentiam aliquam naturæ? ne hoc quidem si sapient. Ad probabilia vero quando perventum, Ecquid habent quo cum rationibus nostris comparentur? Evidem id hactenus non vidi.

38. Igni vero quo nomine infensi sint, mox videbimus. Hic illud addo, quatuor illas locorum differentias tum in universo recte esse distributas, idq; non frustra: tum vero manifeste terræ partes aquæ se submittere; aquam supra terram ita emergere, ut sub aëre consistat: Ignem vero in medio aère, omni conatu aërem transcendere. Ut alia mittam indicia; ex anni temporibus, vitæ ætatis, humorumq; in corporibus nostris numero; quibus

quibus si quatuor accedant Elementa, Monotestaron erit, nec auctoritate naturæ, nec assertione nostra iudignum.

39. Quæ vero ex resolutione mixtorum, & qualitatum inter se combinatione ducitur ratio, in ea præsupponendum est.
1. Elementa ad mixtionem esse ordinata; 2. Mixtionem sine actione ac passione adeoq; miscibilium alteratione haud fieri.
3. Ad hoc qualitates primas, aptissimas esse & necessarias. 4. Hujusmodi qualitates esse quatuor. 5. Quæ Elementis, ut corporibus simplicibus, primò competant. 6. Elementum unumquodq; non unam harum qualitatum sustinere sed duas. 7. Alteram tamen in gradu excellenti, alteram in remisso. Quæ singula suis locis probanda sunt.

40. Et tum attendenda Aristotelis demonstratio. 2. de gen. & corr. t. 6. Quatuor sunt primæ qualitates; & ex possunt combinari quatuor modis: Ergo tantum sunt quatuor Elementa. De consequentia dubitas? ea vero optima est; & ex medio aptissimo desumpta. Quod clare patebit ex fundamentis illis clara in luce suo loco ponendis; & ex hujus notæ gemmula; Quod quicquid in rebus naturalibus positivè demonstratur esse possibile naturaliter; si idem congruum sit ordini naturæ: nec evidenti firmaq; demonstratione probetur contrarium: id omne pro facto veroq; habendum sit.

41. Verum enim vero, cum quicquid hic turbarum est, id omne ex Igni elementari oriatur: si quid in hac quæstione reliquum est, peculiari Ignis considerationi transmittemus: ad affectiones elementorum progressi; cuiusmodi sunt; Quantitas, finitudo, figura, locus, motus, quies.

42. Quanta namq; sunt, quia materiata sunt. Finita etiam, quia huic communis naturæ legi obnoxia esse, vel ex eo appareat, quo cœli ambitu claudantur.

43. Id quæstionis est: 1. Num ad maximum & minimum sint à natura determinata? 2. Quam inter se Quantitatis proportionem habeant? Sed prior illa major est, quam ut una assertione explicari valeat. Verum enim dixerit (meo sensu) qui affirmet: Et tamen si in omnibus, quæ huic quæstioni annexa sunt, idem dixerit, non raro errabit. Nihil ergo malo de hac Carthagine potius quam pauca.

B

Altera

44. Altera eō difficilior, quo ad miniculis paucioribus in sua scientia Physicus instructus est ad rem illam de facto investigandam: Neq; nihil habere videantur Mathematici, quo sententiam Aristolicam faciant suspectam.

45. Nos tamen bona illa fama, quæ de sapientia naturæ per terras tractusq; maris cœlumq; profundum, sparsa est, facile inducimur ut statuamus. Essē quandam inter Elementa proportionem. eamq; ex instituto naturæ, optimam, atq; huic universo maxime convenientem; nempe continuatam: ut sicut se habet unum ad alterum, ita & alterum ad tertium, & hoc ad quartum.

46. Quod si hæc proportio detur in extensione quoad raritatem densitatemq; prope ausim dicere, in quantitate ipsa Elementorum esse æqualitatem, id est tantundem sibi materia, & per consequens, quantitatis vindicare unum quam alterum.

47. Non male Arist. proportionem illam v. g. constitue decuplam; hoc est, ut aqua sit decuplo rarior & magis extenta secundum naturam, quam terra: & aër decuplo magis quam aqua: Ignis item decuplo quam aër. Etsi raritatem hanc extensionemq; in Indivisiibili mathematico ponere fas non sit. Neq; in ea re æstimanda, tam existentiam elementorum intueri oportet, quam essentiam ipsam alioq; modo rationem hujuscœ rei initur, quam putent illi, quibus tam mirifice hic Aristoteles falsus est, qua de re alibi latius.

48. De Figura sic sentio: I. Elementa tota rotundam figuram de facto obtinere: ut aquæ terreq; globus unus sit. quem circulariter ambiat aëris. Et hunc iterum Ignis.

49. II. Hanc rotundam figuram, non de facto saltem habent, sed etiam ad eam per se, & naturæ suæ conditionem aptitudinem & inclinationem habent.

50. III. Particulae singulæ Elementorum cerram ac determinatam, figuram, neq; de facto habent (quod in terra manifestum est) neq; ex naturæ præscripto rigorose eam sibi postulant.

51. IV. Cum res omnes à natura id sibi insitum habeant, ut essentiam unitatemq; suam tueantur. Unitas autem in figuris maxima:

xima & simplicissima sit, rotunditas : unaquæq; res corporea,
qua ad certam figuram determinata non est, affectat rotundam,
quantum potest.

52. V. In primis vero particula Elementorum, excitata ab
inclinatione Totius, cum quo eandem obtinent naturam, ut an-
te dictum est. M. Sleek, in com. sup. Magit.

53. Locus unicuiq; Elemento Toti exordine universi certus
est : quem tenent, ex præscripto motus Localis ; cui quicquid
dissertationis hujus reliquum est, omne impendemus.

54. Etiam hic Regressus Logici aliquod exemplum est ; cum
ad eundem motum (qui confusa notitia elementorum essentiam
nobis manifestarat) regredimur distincte cognoscendum : Idq;
per eandem illam, quam manifestauit, Elementorum essentiam ;
cui motus iste simplex primo inest : à qua ejus instrumenta , h. e.
motivæ qualitates (levitas & grauitas) resultant ; & in actum di-
riguntur ; ut prima potissimaq; motus causa in illa ipsa, quam di-
ximus, essentia reposita sit.

55. Magna hæc questionum difficultas juxta ac varietas :
Quibus cum aliter hæc non licet, nec forte licere debeat, breui-
bus satisfacere conabimur propositionibus.

56. Earum hæc 1. Non moveri Elementa naturaliter, nisi
adminiculo gravitatis ac levitatis : 2. Grauitas hæc & levitas,
sunt qualitates, ipsi Elementorum substantiæ, (à qua tamen re-
sultant,) superadditæ. 3. Ut Elementa sursum moventur, &
deorsum idq; vel simpliciter (ut ignis & terra) vel secundum quid
(ut aqua & aer) sic & qualitas motiva alia qua sursum, alia qua
deorsum movet. Eæq; vel simpliciter, ut gravitas terræ, levitas
ignis : vel secundum quod, ut levitas aeris, gravitas aquæ. M. Sleek
in prælect. public. 4. Veramq; harum qualitatum æquè esse po-
sitivam ; plane ut calor & frigus, humidum & siccum. Errane
enim qui levitatem non dari, sed minorem gravitatem levitati
nomen accepisse existimant. 5. Mediae illo qualitates (ut lo-
quimur) non sunt defectus extremarum, neq; ex extremis com-
positæ, sed & ipsæ sunt simplices, & specie tum inter se tum ab
alijs distinctæ. Dn. præses d. l.

57. Atq; sic de instrumentalí motus Elementorum causa

constat. Principalis vero illa, omnium (Si evoluere extor controversijs coneris) intricatissima est. Integris libris à pluribus tractata.

58. Nobis ita visum: sciscitanti de proxima, perse & adæquata efficiente causa motus Elementorum naturalis, in actu non satis facies, si respondeas vel de cælo, vel loco, vel medio, vel removente impedimentum, vel ipso etiam Generante.

59. Ad interiorem quippe causam descendendū est, ipsam videlicet formam à genitore datam: cuius auctoritate & in loco suo quiescere, & si extra positum sit, ad eum nisi impedimentum intercesserit, moveatur.

60. Eo ipso enim quia corpus aliquod v. g. graue est, intelligitur esse in potentia ut descendat deorsum. Ergo moveri deorsum illi perse competit, qua graue est. Ergo ex aliquo principio naturali interno, saltem passiuo.

61. Hanc potentiam ad actum deducere debet movens; non per accidens sed perse: non remotum, sed proximum; idq; per modum cause efficientis.

62. Tale movens non est cælum; Quia agens est remotum & universale. Non Locus: quia movet tantum Metaphoricè, permodum finis & conseruantis. Non medium, ut vult Averr, sed cuius assertionis sensus potest esse triplex; sigillatim hic discutiendi.

63. I. Ut elementa moveantur à medio, lapis v. g. per aërem quatenus medium. 2. à medio, ut causæ generantis rationem subit. 3. ut elementa grauitatis ac levitatis suæ instrumento primum moveant & impellant ipsum medium, lapis inquam aërem: ad cuius motū deinceps ipse iterum lapis moveatur; perinde ut nauta movet navem: & tum à mota navi ipse moveatur.

64. Nullus horum modorum proposito satisfacit. Quamvis enim medium ad motum plane necessariū sit (in vacuo quippe nullus motus) eundemq; juvet commoditate sua ac promoveat: quemadmodum, si minus conveniens sit, impedit, & obstat. Quin & lapis moveri non possit nisi prius movratur seu dividatur medium, quod ita divisum, lapidi sic transitum præbet, ut transiunti à tergo quasi immineat & urgeat: tamen hic jure vi debitum.

debitur alienum, I. Si respondeas, de medio quā medium. Quæstio enim est de efficiente quod videlicet moveat, non per quod moveat. II. Si de medio ut generante. Neq; enim omne graue ac leue generatur à medio. Et quod generatur, ab eo tamen proximam motus causam non accipit, ut mox dicemus.

65. Tertio sensu, medium est ipsum mobile; de quo quæsti potest, vnde moveatur per se? De lapide enim si respondeas, 1. hoc est per accidens. 2. Non est uiversalē. 3. Ipse lapis non potest movere medium, nisi ipse prius moveatur: sicut nauta navim moveare non potest, nisi ipse prius sese moveat ipsum. Ut intelligas omnibus modis integrā adhuc & insolutam esse quæstionem.

66. Quamnon dissolvit Removens impedimentum. Causa enim hæc per accidens est, quæ nihil infuit in esse hujus effectus. Et locum non habet, nisi in Impeditis: Remotoq; impedimento actu ille motionis secundus testatur, jam tum in ipsa etiam quiete adfuisse principium motus, non actu primo sed secundo tantum inhibitum, à quo motio hæc quasi per resultantiam quandam proficiscatur.

67. Propius ad rem veniunt, qui Generanti causæ motum hunc ascribunt: viri hercle celeberrimi; nec indigna hac celebritate sententiā, ut cui imprimis faveat Aristoteles, & cuius adminiculō ad cognitionem primi motoris haud impigre ascendatur.

68. Sed quæ causa tamen ita vera non est, ut etiam proxima esse possit. Non enim movet generans, nisi quatenus rei mobilis dat formam. Qua datâ, res etiam absente generante moveri potest. Nempe quia proxima, perse & adæquata motus causa est, Forma rei intrinseca; non per novam quandam actionem, aut transmutationem; sed immediate & per naturalem sequelam.

69. Generans quippe ex corpore v. g. gravi, facit leue. Id nisi fiat, graue hercle per naturam, nunquam sursum ascendet. Facit autem leue datâ forma nova, aëris inquam vel ignis: vel ad eam saltem formam (in imperfecte mixtis) disponendo. Ab hac forma, in primo generationis punto, emanat proprietas levitatis & potentia tendendi sursum. Et in his tendentia illius est

quasi actus primus, quo res ipsa in statum naturalis suz perfe-
ctionis reponitur.

70. Quod si generatio hæc facta sit in loco huic rei con-
venienti, aëris vel in aëre : formam hanc adepta, quiescit; nempe
quia in loco suo est. Sin minus ; ad eundem locum actu secundo
statim tendit, nisi impediatur.

71. Sic ergo à forma proximè & immediatè, ut dixi, move-
tur, mediante à forma, à Generante : cui hic motus non immerito
ascribitur; eò quod natura Elementorum atq; Inanimatorum o-
mnium hoc exposcat, ut in ultima sua perfectione constituantur,
quod fit beneficio generantis; secus atq; in animatis.

72. Hæc de motu elementorum naturali sufficient. Ex quo
Quietis, si velis, ratione m̄ deducere promptum est. Natura enim
principium utriusq; est. Et Quies perfectio motus.

73. Quo ergo principio per se ad locum suum elementa
moventur; eodem & in loco suo quiescent: nempe per formam
intrinsecam.

74. Locus autem naturalis is, cum grave sub leui ; gravius
sub minus gravi : minus leve sub leviori sit. Quo modo quidem
fit, ut quod modo naturaliter alicubi constitutum est, quia sub
leviori, mox violenter ibidem quiescat, superinfuso graviori, o-
leum inquam in medio vitri, super aquam : si de novo affundas
vinum.

75. Errant ergo qui spacij designatione hanc rem exqui-
site determinandam putant : eoq; ipso falluntur nonnulli in
Quæstione, Ecquid gravia & levia in suis etiam locis grauitent
& leuitent? hoc est, Num qualitates motivas. quas habent (neq;
enim gravia vel levia esse desinunt) exerceant, sursum vel deor-
sum nitendo. Quod negamus; ratione ducti & experimentis.

76. Fruuntur enim tum fine suo & perfectione : (vide
Thef. 74.) nempe ipsa quiete. Et si aliter faciant, statione sua co-
narentur egredi ; quod est contra naturam.

77. Hinc est quod vrinatores pondus aquæ capitii immin-
entis, nullum sentiant: Neq; si ipsum terræ centrum quispiam a-
diret, habebit quod de grauitate tanti corporis queratur. Nec alia
melior præter hanc causa. cur in medio mundi tam placide quies-
cat tam graue corpus?

Cætes

78. Cæterum ad motum reversis præternaturalem hunc, alium etiam in Elementis præsertim superioribus depræhendere licet, nempe motum in orbem: de quo incidit quæstio, An naturæ dici & haberi debeat? Distincte respondebimus & caute. Si naturæ dicas, quod ab intrinseco sit principio; motus hic naturæ non est: quippe ab extrinseco, cœli motu factus. At vero, si illud naturæ habeas, quod & universali rerum naturæ conveniens est: & particularem etiam ipsius mobili naturam conseruat; naturalem dicere non verebimur. Si medium motum dicas, qui nequæ ita naturalis est, ut motus ignis sursum; neq; ita violentus, ut motus ignis deorsum; Zabarel. c. 9. lib. de motu ignis, vera est sententia. At modus tamen loquendi Aristotelis minus est conveniens.

79. In motu autem projectorum haec quidem accusatione opus non est; cum plane constet, eum esse violentum. Illud tamen obscurissimum est quomodo v.g. lapidem projiciens, postquam è manu dimisit, nec tangit ulterius, eundem tamen verè moveat? Sed hujus quæstionis, tum & aliarum quæ huc pertinere non diffitemur; (præsertim qnoad respectuam elementorum considerationem,) gratiam nobis in præsentia fieri æquum est; cum quæ hactenus dicta sunt disputationis sat amplam contineant materiam: Et vero etiam de Elementis in specie aliquid addendum sit, quod integra & quasi nova dissertatione statim præstabimus.

DISSERTATIO SECUNDA
DE ELEMENTIS IN SPECIE:
DE IGNE.

1. Specialem 4. elementorum tractationem ingrediuntess meditò Ignis primas partes tribuimus, siquidem præstantissimum est cum ejus calore omnia generentur; hoc verò destituta, ad generationem plusquam frigida & inepta habeantnr.

2. Elementa verò respectu motuum suorum duum sunt generum: Omne enim elementum aut leue est aut grave: si ergò corpus mixtum leve est, prædominans ibi elementum habetur vel ignis vel aér: Si grave vel aqua vel terra.

3. De igne nobis quæstio instituta est; eum verò esse cum multi

multi negent, nobis incumbit ejus assertionem constabiliter, cuius beneficio nullum corpus generari aut conservari potis sit.

4. Quod in prima etiam dissertatione jam factum, argumentosumpto ab Aristotelis quadruplici *οὐγείᾳ* elementorum cum brevi explicatione ejusdem probationis. 2. degenerat.

5. Argumentum procedit ita: si qualitates primæ Elementorum sunt quatuor, calidum, humidum, frigidum & siccum; & haec quatuor modis combinari queunt, sequitur etiam dari elementa 4.

6. Demonstratio hæc Aristotelis optima est, firma, & prouersus ad rem: cum consequentia ratio luculenter patet ex eo, quod alias in physicis probe observandum est, si aliquid positive demonstratur quod sit naturaliter possibile, & illud ipsum naturæ ordini & prudenter est conveniens, illud ipsum supponendum est verissimum: Nihil enim frustra facit natura nisi quod optimum est.

7. Ex quibus qualitatibus salvis manentibus elementum ignis esse probavimus, aut mihi dicas unde calor in corporibus cunctis?

8. Ignem hunc definimus hoc modo: Est corpus quoddam simplex essentia & existentiâ sua purgatissimum, calidissimum, siccum, & levissimum, ab omni humore alienum proximè sub celo positum & reliquorum elementorum quedam quasi perfectio & forma.

9. οἴγησιν hujus definitionis videbimus paucis: i. Quod elementum hoc ignis vocatur, non propriè dicitur, sed tantum propter consuetudinem; & non verè ignem esse Phil. l. i. de met. c. 3. docet. Quod hæc vox ignis igni nostrati tantum accommodata sit, quem tum hæc, tum alibi definit Aristoteles quod sit excessus calidi, & exarsio ita se habens ad elementarem illum, sicut glacies se habet ad aquam purissimam.

10. Natura utriusq; ex collatione mutua constare cuilibet facile potest: quæ res cum apud alios longè pertractata sit, breuitatis gratia lectorē eò remittimus. Satis eruditæ etiam Dn. Praeses in com. sup. Mag. hanc rem persequitur.

ii. Porro ignem hunc à primarum qualitatum affectu calidissimum & siccum declarare progredimur.

Duo

12. Duo hic notanda. 1. Quod duplarem elementis qualitatem tribuamus. 2. Quod unam ex his intensam, alteram vero tribuamus remissam. Eadem in reliquis Elementis conditio est, quam ex ratione mixtionis, cuius principia sunt & constitutionem universi mundi deducere promptum est. Si enim singula elementa singulas obtinerent qualitates solum transmutaretur unum elementum in alterum, quod haberet qualitatem contrariam.

13. Quin & elementorum nulla firma connexio esset, sed potius essent disparata & dissipata: nunc autem illa qualitatum *οὐλογίας* inter se optimè connexa sunt, quarum respectu invicem fibi adversentur. Hinc ne ex dimetro planè loco quidem vicina; natura autem & effectu sine ullo cognationis vinculo dissipata essent, vel ob has inquam, loci commoditates communis quodam fœderis nexus qualitatem unam communem intervenire oportuerit in altero quidem intensam, remissam in altero, nimirum quod qualitas specie una duobus pluribusve æquè & primò competere nequeat.

14. Ad has ergò *οὐλογίας* Universum nunc si exigamus, & mundum videbimus in hoc ordine, & ordinatorum nexus vere mundum. Ignis enim vere calidissimus & siccus complectitur aërem, humiditatem quidem adversarium, sed caliditate amicum. Quantum ergò caliditate cedit, tantum excedit humiditate nec pugna major quam conjunctionis affecta est, servata nimirum proportione que necessaria est totius Universi. Hinc alterni elementorum (ut Seneca inquit) inter se recutus.

15. Tantum sufficere putamus de igne commentari: cuius usum & utilitatem enarrando supersedebimus, cum apud alios de eo prolixa extens compendia.

DE AERE.

16. Non inter mare & cœlum (ut Stoici disputatione) sed a quam & ignem interjectus aëris est.

17. Est autem aëris elementum moderatè calidum & humidißimum, compleps omnem locum nullo alio corpore repletum.

18. Caliditatem probare notum est ex raritate & levitate, participatione item motus cœlestis & vicinia ignis, cum qua, ratione

C

tione

tione hujus qualitatis & permutatur facile & loci commoditatibus fruitur feliciter.

19. Humiditas hujus elementi summa est , primò aëri debita, & quidem pro aëris raritate tenuissima, facileq; alieno termino (quæ est definitio humidi) claudenda, quæq; caliditati mediocri non adversatur.

20. Quid mirum ergò si aquæ humiditas crassâ videlicet illa, & in re crassiori facilius alieno se termino accommodans, eoq; ipso ab excellentia humiditatis recedens sensibus usurpetur magis & constantius impressa servet vestigia, proq; constituendis mixtis partibusq; eorum connectendis promptior sit, tum verò & ab aëre calido & penetrabili absumatur?

21. Hinc est quod exsiccationis isthoc munere fungatur rectius, si vel à Sole ipse calidor, vel siccis exhalationibus referitus sit.

22. At verò cur minus aqua humectat, si est humidior? Respondeo cū Dn. Pæside ex Scal. ex. 60. l. 3. In parva quantitate aquæ propter densitatem multas esse quantitates humidas, eadem ratione, quæ ferrum plus affert caloris quam flamma.

23. Non ergò hic sensui magis quam intellectui credendum. Ille quantitatem parvam; hic in ea plures quantitates humiditatis obseruat. Illa crassam illam aquæ humiditatem; hic tenuem illam & aëream advertit.

24. Distinguimus ergò hoc loco inter quantitatem molis & virtutis: Hanc multò excellentiorem (quamvis subtilior) illā putamus.

25. At obijcas frigiditatem ab aqua facilius auferri posse quam humiditatem. Ergò verisimilius videri; aquæ humiditatem magis competere quam frigiditatem, adeoq; esse humidissimam.
2. Comparatio inter elementa & anni partes non constabit, nisi aqua sit humidissima, utpote respondens hyemi, quæ vere est humidior?

26. Respondeo ad 1. Ut humiditas ab aqua separari non potest ipsa aquæ durante essentiâ, ita neq; frigus actu primo ab eadē, quod constat ex naturali illa reductione ad frigiditatem, nativam ab intinsecso naturalis resulantia principio. Ab aëre autem

tem humiditas haud magis tollitur, quam ab aqua, nimurum, sit mutata essentia sua abeat in ignem.

27. Ad 2. Resp. Quamvis hyems fit humidior vere, ista tamen humiditas crassior est arctiusq; ob grossitatem saltem adhærens, ut à nonnullis haud ineptè sit dicta accidentalis, sicut aerea illa humiditas veri analogicè respondens essentialis & connutritiva, qua viventia cur potissimum delectentur verna illa humiditate, vernum tempus judicamus esse hyeme humidius.

28. Rectè ergò constitutum est. 1. Quod aëri qualitates aliquæ revera competant, quicquid etiam dicat Vallesius omnibusq; qualitatibus aërem spoliatum natura sua ponens. 2. Eas per naturam aëri competere prodeentes nimurum & ènamantes ab ipsa essentia aëris, quicquid etiam dicat Zab. à cœlo illas deducens l. i. de qual. Elem. c. 9.

29. 3. Aërem ob essentiæ suaæ raritatem & humiditatis, (quæ parum resistere potest) conditionem alienas qualitates promptissime induere. 4. Terram & aquam elementa frigida in aerem vicinum continuo agere, qui cum resistere actioni illorum non possit; hinc frigiditas illa aëris, quæ in infima regione calore solis dispellitur frigidis vaporibus ad medium regionem reductis, quæ semper frigida, attamen per accidens.

30. Cæterum aeris temperamentum cum æquale non semper sit, sed ex aliorum elementorum contactu, & propter varios situs respectu cœli à suis naturalibus qualitatibus intra quosdam terminos recedat, hinc aërem in tres regiones distribui videmus, videlicet supremam, medium & infimam, Arist. l. i. Met. c. 4.

31. Infima regio aëris initium sumit à superficie terræ, & protenditur quoq; radij solares à terra reflexi resiliunt; & est ille aëris in quo nos degimus, nullæ vero in hac regione nubes cogi possunt, ut nec ad supremam: quia calor vaporem disgregat, nec cogi in nubem sinit: calor hic est à radijs solarib. qui in terra refracti resiliunt: nec supraæma aëris regio nubes admittit, quia & illa calida est (nubes vero non à calore sed frigore coguntur) propter incessanter, quem habet motum in orbem, à quo vaporis condensatio impeditur Zab. l. de reg. aér. c. 1.

32. Media inter supremam & infimam interjecta collocaatur: quum enim in terra fracti radij solares ascendant, alicubi tam

men desinat, cessetq; & extinguatur tandem omnis eorum vis,
ibi finis est infima regionis, & initium mediæ. idem ibid.

33. In hac regione nubes cogi possunt, quia neq; à motu cale-
fit, neq; à radijs, quum ad eam partem non perveniant. Zab. d.l.

34. Suprema igni vicinior, incipiens à cacumine monti-
um, & finiens in principio loci ignis.

35. Differunt autem hæ regiones quantitate & qualitate.
Quantitate, suprema quippe omnium maxima regio est, & hanc
semper & immutabilem servat, utpote certis & immobilibus li-
mitibus contenta Zab. c. eodem.

36. Reliquæ duæ non eandem semper obseruant quantita-
tem, sed modò majorem, modo minorem. Nam æstivo tempore
infima regio major est hyeme, minor autem æstate: de qua re
plius vide Zab. l. de reg. aér.

37. Qualitatibus differunt, quoniam suprema calida est
propter motum in orbem, infima calida propter radios.; Media
vero frigida, utpote utraq; caloris productrice causa destituta.
Suprema quoq; propter motum & propter ignis propinquitatem
ficcior, seu minus humida est: Infima humidior propter vapo-
res, qui à terra exhalati continuè per eam ascendunt, à quibus
ijsdem mediæ quoq; regio humidior redditur, quum ad eam lati,
ibi diutius maneant, & in aquam etiam vertantur.

38. Utilitatem hujus elementi cum apud Mag. l. 3. c. 3.. &
alios legere liceat hoc loco tacitè præterimus: ideoq; tantum de
aere dictum esto.

DE AQVA.

39. Explicatis Elementis supremis duobus & levibus: inter
inferiora, quæ jam ordine aggredimur, & gravia, aqua, terra prius
consideranda venire.

40. Est autem Elementum grave, frigidissimum & humidum ter-
ram undiq; ambiens & interfluens.

41. Aquam frigidissimam statuimus, recedentes à sententia Za-
barellæ procontraria pugnantis opinione, cum celo sit propin-
quior quam terra, & propterea terram frigidissimam afferentis.

42. At quam frigidè! Siquidem affectiones subjecti alicu-
tus potius defumendæ sunt ex interna illius natura & principio,
quam ab externo, ut Zabarella.

Quam-

43. Quamvis autem recte pro se quidem argumentetur si
ab omni dubio liberatam sibi haberet, nimisrum, qua-
litates elementorum à cælo deduci.

44. Verum ut infundamento, non admodum firmamento,
res ei superstructa cadat necesse est; ita & sublato rationis & rei
fundamine, non bene ei fidens stabit opinio.

45. Ptaesupposito igitur ex Scal. contra Cardanum, frigus
videlicet non esse quipiam privativum sed positivum, recte con-
tra Zab. concludimus quod non possit aliquid à causa privativa
generari: At hoc tamen fiet secundum eundem, quod ipse non
difficitur. *l. de reg. aëris c. 6.* Ergò.

46. Nobis verò sit sanctius illud naturæ principium, quod
Boetius explicat inquiens: *Omninò nullius rei natura suo principio & can-
sa melior esse potest.* At verò effectus positivus melior est quacunq;
privative: Ergò.

47. Et numquid non absq; causa, adeoq; non à semetipso
esse videbitur, quod in causa sua non aliquo modo sive formaliter
sive eminenter præfuerit? Cl. Dn. Præses in comm. super
Cap. Magis.

48. Agens quidem privativum non potest aliquid efficere
positivum, nisi per accidens. Ergò cœlum nequit frigoris causa
esse nisi per accidens? Omne autem per accidens reducendum
est ad aliquod per se, quodnam autem est illud loco hoc?

49. Ordinationis *situs aquæ* insignis utilitas est ut hinc tol-
latur omnis difficultas naturæ ordinem infringens, nec ullus vio-
lentia locus reliquus esse potest.

50. Figuram aquæ rotundam esse cum Philosopho statui-
mus ob duplēm rationem 1. Quia partes homageneæ imitan-
tur naturam totius; cum ergo guttæ aquæ sint partes homageneæ
& sphæricæ figuræ. Totum etiam tale esse credibile est. 2. est à na-
vigatoribus. Cum enim illi portum linquentes paulatim terræ
prospectum amittunt propter interjectum maris tumorem, pro-
pterea esse rotundam aquæ figuram.

51. De Aquarum differentijs, motibus & æstu, pontium
ortu &c. cum apud alios latius res tractata sit, tum ab interpre-
tibus ad Meteororum libros referantur, hoc loco omittimus.

52. Usus hujus Elementi duplēm, vide in Mag. l. 3. c. 4.

DE TERRA.

53. Cujus laudes Plin. tractat lib. 2. c. 63.

54. Nōs breviter hujus naturam quæ in affectionum, qualitatumq; contemplatione elucescet, declarabimus.

55. Terra est Elementum siccissimum frigidum eq; densum, solidum & gravissimum.

56. Siccissimum Elementum terram dirimus cum suis terminis facile alienis difficile terminabile sit, Arist. l.2. de gen. c.2 t.9. affusum sibi humorem omnem, combibens suapte natura exsiccando.

57. Frigiditatem ejus potius desumimus ex ipsa intrinseca natura & principio quā à cœlo: nec propterea eam frigidam dicimus, quia immobilis, densa aut gravis est; Multa enim corpora quæ etsi densiora ac graviora sint, non raro tamen ipsis rarior & densioribus sunt calidiora. Neq; enim gravitas ac densitas frigus sequuntur simpliciter, sed frigus quod est cum secco junctum.

58. Densitatem & soliditatem hujus elementi non ad frigiditatem primò, sed ad siccitatem referimus.

59. Gravissima est terra propter densitatem & soliditatem; & hujus merito in infimo loco recte quiescit, vel si extra illum posita sit, ad eum naturaliter movebitur, ut in partibus singulis constat;

60. Hinc veritatem non assequuntur illi, qui terram unum astrorum faciunt, seu ut in medio alij ponentes volvi & moveri circa medium polum somniarunt, de quo Phil. 2. de cœl. c. 13. t.96.

61. Nos, quia Terra gravissimum elementum est, immobile cum Philopho statuimus à cœlo maximè remotam, hoc est medium mundi appetere, ibiq; fixam quiescere, nec aliorum nisi per vim educi posse. Pro cuius stabilitate apud Arist. argumenta cum magno adplausu solida legi possunt, l. 2. de cœl. c. 13. t. 97. 98;

62. Porrò eum Terram totius universi centrum dicamus dispiciendum est, quomodo hoc accipi debeat, non autem hic punctum Mathematicum, sed corpus Physicum intelligimus, quod molem suam & extensionem partium obtinens, in medio universi positum sit: quoquidem modo quicquid ad ullam ejus patterna propender & movetur ad centrum universi moveri rectè dicitur
Iohan. Mag. c. 1. Quomo-

63. Quomodo terra in medio mundi fixa quiescat antiquus dubitatum est. Empedocles infinitam esse terræ profunditatem, ideoq; quiescere quasi radicibus infinitis firmatam. Thales innatate aquæ putabat sicut lignum quoddam. Quam sententiam ridet (est certè irridenda) Seneea l. 3. quæst. natural. 13. Quidni enim terra potius aquam sustineat, & quid tandem ipsam a quam fulciet?

64. Quomodo ex sacris huic quæstioni respondendum sit vide Valesium sac. Phil. c. 59. A. qua sententia non est alienus Aristot. ita nimirum à DEo firmatam, ut se ipsa niteretur nutibus videlicet suis ita conglobata, ac nativæ gravitatis suæ adminiculō locum à cœlo remotissimū petens subter Elementa levia, videlicet ad meditullium Universi, in quo fixa quiescat, ita ut moveri non possit, neq; movendi appetitum habeat, neq; à gravitate sua excitetur nimirū, quia est in loco suo naturali: suprà enim disputū est Elementa in loco suo neq; levitare neq; gravitare. *Cla. Do. Præses in com. cap. 5. sup. Mag.*

65. Terræ figuram quod attinet, eam dicimus esse rotundam & sphæricam cum Philosopho 2. de cœl. c. 14. t. 109.

66. Probant hoc quæ sensui conspicua sunt. Videmus n. cum luna deficit per circularem sectionem obscurari. Quod ex eo sane oritur, quia Terra cujus interjectu obscuretur, rotunda est & globosa. *Philos. d. I.*

67. Confirmat & hoc aspectus siderum. Si enim terræ superficies esset plana, terræ incolæ qui ad Austrum & qui ad Aquilonem sunt, eundem haberent Horizontem, & easdem stellas videbent: At cum hoc fieri non possit, ut ait Philosophus: Quædam n. in Ægypto quidem stellæ videntur, & circa Cyprum. in ijs autem quæ ad Ursam vergunt, regionibus non videntur.

68. Ex quibus colligitur non modo Sphæricam esse Terram, sed etiam non admodum magnam, ita ut comparata ad complexum firmameti, aliorū superiorūq; orbiū sit instar puncti. *Arist. ibid.*

69. De Terræ quantitatis ambitu, quisnam ille sit, Physicus in sua scientia definire non potest, destituitur enim medio demonstrationis.

70. Ecquid verò Terra sit major quam aqua, vel ea minor, quidve de proportionibus elementorum ab antiquis juxta & recen-

recentioribus traditum lege apud Scal. contra Card. fatis aperte ostendentem Terram aqua non tantum non minorem, sed etiam esse majorem: sub omni enim aqua terra est, quia fundata est sub sub aquam(& ipse super maria fundavit eam DEus Psalm. 24.v.1.) non autem sub omni terra aqua est, ait subtilit. Magist. Scal. ex. 38.

71. Inter Terra affectiones etiam habenda hominis & animalium inhabitatio. Qua de re quantam mereatur commendationem, & quomodo cognomen illi inditum sit materna veneracionis vid. apud Plin. l. 2. c. 63. Quaritur autem Num Terra, qua parte extat, omnis sit habitabilis?

72. Negativam sententiam ex Zonarum trium (verba Martiani sunt l. 6. teste Cl. Dn. Præf. d. loco) intemperie multa, ob contrariorum nimieratem relegamus. Duæ enim Zonæ ac si utrinq; confines, algore immenso & frigoribus desertionis causas pruinis mergentibus præbuere. Media flammis & anhelis odooribus torrida: (causa est ipse motus solis) propinquantes animalium imburit accessus. Aliæ duæ temperatæ sunt, vitalis auræ halitu temperato habitationem animalibus indulserunt. Qua de re cum Præstantissimorum Geographicorum pleni sint libri, plura dicere opera pretium non duco.

M. THOMAS LUNDIUS
MEO PECHLINO

A multis Aeli, quin Prisci vapulet-anus,
Recte misceri vix elementa queant.
Et tamen haut dubitant, triviali Pulvere nondum
Abstergo, catbedram scandere Christe tuam.
Tu P E C H L I N E prius misces elementa Sophorum,
Theologii ut solidum corpus babere queas,

L. meritoq; deproperabam.

M. THOMAS LUNDIUS

Flensburgensis.





tem humiditas haud magis tollitur, quam ab aqua
mutata essentia sua abeat in ignem.

27. Ad 2. Resp. Quamvis hyems sit humi-
men humiditas crassior est arctiusq; ob grossitatem,
ut à nonnullis haud ineptè sit dicta accide-
tilla humiditas veri analogicè respondens essen-
tiva, qua viventia cur potissimum delectentur v-
tate, vernum tempus judicamus esse hyeme hun-
dum.


28. Rectè ergo constitutum est. 1. Quod
liquæ revera competant, quicquid etiam dicatur
busq; qualitatibus aërem spoliatum natura su-
per naturam aëri competere prodeentes nimis
ab ipsa essentia aëris, quicquid etiam dicat Zab-
cens l. 1. de qual. Elem. c. 9.

29. 3. Aërem ob essentiæ suæ raritatem &
parum resistere potest) conditionem alienas qua-
me induere. 4. Terram & aquam elementa fi-
cinum continuo agere, qui cum resistere ad
possit; hinc frigiditas illa aëris, quæ in infima re-
dispellitur frigidis vaporibus ad medium regio-
semper frigida, attamen per accidens.

30. Cæterum aeris temperamentum cum
per sit, sed ex aliorum elementorum contactu
situs respectu cœli à suis naturalibus qualitatib;
terminos recedat, hinc aërem in tres regiones
videlicet supremam, medium & infimam, Arist.

31. Infima regio aëris initium sumit à i-
protenditur quoq; radij solares à terra reflexi
le aér in quo nos degimus, nullæ vero in hac re
possunt, ut nec ad supremam: quia calor vapo-
cogi in nubem sinit: calor hic est à radijs sola-
refracti resiliunt: nec suprema aëris regio nubes
& ilia calida est (nubes vero non à calore sed
propter incessantem, quem habet motum in or-
ris condensatio impeditur Zab. l. de reg. aér. c. 1.

32. Media inter supremam & infimam
tur: quum enim in terra fracti radij solares ascen-
dunt.



the scale towards document

, sit

, ta-
hæ-
erea
atri-
idi-

es a-
nni-
Eas
ntes
edu-

quæ
tissi-
n vi-
non
solis
quæ

em-
arios
dam
mus,

e, &
st il-
cogi
, nec
a re-
quia-
turt
apo-

loca-
bi ta-
men